



LIBER SECUNDUS

CODEX JURIS CIVILIS ECCLESIAE GRÆCÆ.

C A P U T I.

*Recensentur Græce & Latine Typis impressæ Juris
Græco-Romani editiones.*



I consulantur manuscripti Græci Bibliothecarum Codices, nullum adhuc reperire licuit, qui integrum Juris utriusque corpus repræsenter. Qui vero conati sunt, *Juris* (ut vocant,) *Græco Romani, tam Canonici, quam Civilis* accuratam Editionem Græce & Latine in lucem emittere; ii quidem egregium opus aggressi sunt; an vero scopum attigerint, nec ne, ex ipsa monumentorum, quæ protulerunt, recensione colligitur.

Primus, ni fallor, qui hanc spartam adornandam suscepit, *Enimundus Bonafidius* fuit, qui ex Officina Henrici Stephani anno 1573. sub hoc titulo edidit: τὸ ἀνατολικὸν Νομικόν, *Juris Orientalis, Libros tres.* Libro I. continentur *Constitutiones Imperatorum: Heraclii. Leonis Iconomachi. Constantini Caballini. Nicephori. Leonis Armeni. Theophili. Basilii. Leonis & Alexandri. Constantini Porphyrogeniti. Romani senioris. Nicephori*
Lib. II. A Pho-